



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Autoritas apud Friburgenses.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

ab alieno totus nutu penderet. Cui Claudius in hæc verba rescripsit. Spero iam aduenisse, qui Reuerentiam Vestrâ ista gubernationis cura, de qua dudum dolebat, alleuarit: vt iam se totam proximorum saluti promouendæ possit impendere. Quam ad rem confido sanè non solum talenta, quæ à Deo accepit, verùm etiam opinionem, & auctoritatem, quam per eiusdem gratiam in Ciuitate ista, vt audiui, hoc toto tempore sibi comparauit, plurimo ei adiumento fore. Hæc scripsit de eius auctoritate Claudius: quoniam auxerat viri præsentia existimationem, & ad aurium fidem experimentum accesserat oculorum. Vt quemadmodum Sammaritani olim in Christo Domino, similiter in famulo Friburgenses possent profiteri eius se auctoritati multum tribuere, non iam propter alienam testificationem, sed propter perspecta sibi, & cognita merita. Et Canisius illa vtēs animorum inclinatione ad ipsorummet æternas commoditates, quo acrius furebant circumpositi corruptores, hoc magis ad intercludendos iis aditus vigil, effecit, vt cuncta Respublica in fidei Catholicæ professionem iuraret, ingenti ciuium consensione, dicto apud Magistratum sacramen-

*Autoritas
apud Fribur-
genses.*

to. Idemq; iusiurādum in omnibus ditionis eius Parœciis, quæ octoginta numerabātur, exactum, ac præstitum est.

Anno 1583. cum sanctus Cardinalis Borromæus accepisset à Pontifice Helueticas oras præcipua cura tuendas, vehementer lætatus est Optimus Præsul fati iam pridem sibi notum adesse Friburgi Canisium: scripsitque ad eum rogans, vt quæ ex vsu procurationis eius fore censeret, pro sapientia sua, & caritate significaret: cupereq; secum eo sæpius de negotiis regionū illarum, quæ spirituales ædificationē (sic enim loquebatur) continerent, per literas agere. Cui vicissim Canisius consulto Præposito Generali, quod in se esset opis spondit; & quædam etiam, quæ consilio cum aliis Patribus habito, visa erant, (vt nūquam vni sibi credebat) sancto Cardinali significauit. Ita veteri suo more non præsentibus modò, sed & absentibus consulebat. Tempore eodem in Urbem misit commētarium nouum, (multa enim talia sæpe ante miserat) de ratione religionis in Germania subleuandæ. Multa etiam ad Generalem Præpositum de Societatis curando profectu, quod ille postulauerat, scripsit: in quibus dū perfectam

1583.

S. Cardinalis
Borromæus
eum magni
facit.

Scriptis & Rē
publicā & So-
cietatem iuuat.